DE

OVARIORUM MORBIS.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AUCTORITATE ET CONSENSU GRATIOSI
MEDICORUM ORDINIS

IN ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE FRIDERICIA
GUILELMIA RHENANA

AD GRADUM

DOCTORIS MEDICINAE ET CHIRURGIAE

RITE ASSEQUENDUM

SCRIPSIT ATQUE

DIE IV. SEPTEMBRIS ANNI MDCCCXL

PUBLICE DEFENDET

FR. GUILELMUS LOEPER,
WESTFALUS.

Opponentibus:

ED. ENGELHARDT, med. et chir. Cand.
CAROL. UNGER, med. et chir. Dr.
BERN. BRUENING, med. et chir. Dr.

BONNAE,
TYPIS FRANCISCI BAADEN.
MDCCCXL.

Digitized by the Internet Archive
in 2026

https://archive.org/details/IA41544719_0293

VIRIS ILLUSTRISSIMIS

Friderico Nasse

MEDICIN. ET CHIRURG. PHILOSOPH. DOCTORI, REI MEDICAE CONSILIARIO INTIMO, PROFESSORI PUBL. ORD., DIRECTORI CLINICI MEDICI BONNENSIS, SOCIET. LITTER. COMPLUR. SODALI, EQUITI ETC. ETC.

ATQUE

Herman. Frid. Kilian

MEDICIN. ET CHIRURG. DOCTORI, PROFESSORI PUBL. ORD., DIRECTORI XENODOCHII OBSTETRICII BONNENSIS, PLUR. SOCIETAT. LITT. SODALI ETC.

PRAECEPTORIBUS DILECTISSIMIS.

PIO GRATOQUE ANIMO

D. D. D.

AUCTOR.

De ovariorum morbis.

Perpetuus ovariorum in statu sano perfecteque evoluto producendi nisus in morbosum facillime transit processum vitalem, qui sic quoque plerumque morbosa procreat; hac autem dispositione foeminae tempore praecipue illo laborant, quo et plethora universalis et congestiones ad pelvis organa appareant adauctae, menstruis scilicet aut puerperio. Priori enim aetate usque ad pubertatem ovaria ferę omnino feriantur, iisque tantum vitae modo tribuitur, quantum ad ipsa conservonda et evolvenda necessarium est. Eo frequentius contra accurrunt illo temporis spatio, quod inter pubertatem atque involutionem intercedit, quo illa organa propriam quasi vitam sibi vindicare videntur; sed permagnam quoque praedispositionem aegrotandi praebet primum involutionis tempus, quando menses cessant et anni climacterici incipiunt. Si hac cum dispositione conjungis causas occasionales, de quibus postea; non miraberis, ovaria saepissime primum nimis irritari et deinde nimio sanguinis affluxu, inflammatione, morbo omnium fere destructionum primario laborare.

I r r i t a b i l i t a s a d a u c t a. Regio iliaca lateris affecti sensum tensionis et doloris abtusi offert, rubore ac tumore prorsus deficiente. Dolor magis minusve gravis pressu non cresens interdnm extenditur ad regionem lumbalem et femur lateris affecti, et saepe subito apparet. Quacum affectione variae animi perturbationes simul oriuntur: appe-

titus virorum adauctus, immo forma nymphomaniae, quae dicitur, apparens; phantasia admodum libidinosa, et saepissime aegrae mastrupationibus indulgent.

Et Cari [1]) aliorumque sententia, nymphomaniam potius symptoma, quam morbum proprium habendam esse, causamque proximam nymphomaniae in ovariorum morbo cerni, omnino verisimillima mihi videtur. Nam illa symptomata nymphomaniam constituentia in ovariorum morbis, praesertim in irritabilitate adaucta saepius cernuntur, quam nymphomania sine his, cum et situs ovariorum et insultus vehementissimi diagnosin morborum, qui sunt in ovariis, constituere non sinant. Quam ad sententiam affirmandam etiam accedit, quod et causae praedisponentes et occasionales, quae saepissime nymphomaniam provocare traduntur, omnino fere cum iis consentiunt, quae irritabilitatem adauctam aut alium ovariorum morbum indicare solent; eadem remedia, quae illum morbum mitigant, vel adeo tollunt, ut mensium retentorum profluvium, saepe etiam repullisse nymphomaniam observatum est.

Irritabilitas minuta. Verisimile inflammationem protractam saepe sequitur et facile degenerationi ovarii antecedit; forsan sterilitas, et coeundi cupiditas omnino deficiens, constitutioque totius corporis torpida diagnosin affirmant.

Inflammatio ovarii, s. oophoritis.

a) Mera.

Plerumqued ecurrit diebus quatuor, novem, undecim ad maximum viginti uno, quo spatio ad maximam altidudinem ascendit, denique resolvitur sub excretionibus criticis.

---

1) Carus, Lehrbuch der Gynaekologie §. 196 — 99.

Symptomata hujus inflammationis ob profundiorem ovariorum situm in pelvi magis sunt subjectiva, quam objectiva, cum calor adauctus, tumor juxta spinam anteriorem inferiorem ossis ilei durus circumscriptus, interdum movendus et per vaginam et rectum explorandus soli manui exploranti fiant manifesti. Symptomata autem subjectiva sunt frequentiora, quorum nonnulla certiora, nonnulla autem minoris dignitatis se ostendunt.

Certiora: dolor in regione iliaca alterutra, vehemens, fixus, ardens, pungens vel scindens (praecipue in inflammatione tunicae serosae) aut obtusus, praemens (in inflammatione parenchymatis) in directione pelvis maioris decurrens, sub pressu mox vehementiore, mox leviore adauctus. Aegrae sanum latus bene incumbere non possunt, femur lateris affecti, immoque pes dolet, ejusque motus sunt inpediti; symptoma autem non semper adest, uti ex casu II. postea sequenti elucet. Querela de calore et mole valde opprimente ejusdem lateris. [1]) Labium pudendi externum lateris affecti, interdum autem utrumque oedemate tumet.

Symptomata minoris dignitatis, quae ex aliorum organorum morbis exortum quoque trahere possunt: menses vel secretiones lochiales disparentes, symptomata febris synochalis per diem vulgo modica vesperum versus exacerbantia; faciei habitus dolorem internum denotans; pallor faciei, cephalalgia, photopsia, respiratio difficilis, abnormis, tussis sicca. Perturbationes in digestione; sitis magna, lingua sicca, limo flavo-fusco, pituitoso obducta; appetitus ciborum depravatus; alvus obstructa cum diarrhoea alternans,

---

1) Mende, Krkhtn. der Weiber II, p. 112 i. Fall I, und II, von mir angegeben.

*

ejusque solvendae conamina saepissime existentia; urina parca rubra, sub emissione dolorem adaugens. Accedunt plerumque animus valde depressus, morosus, anxietas, appetitus virorum in inflammatione exquisita plerumque minutus immo sublatus, initio inflammationis excepto. [1]) Symptomata autem, quae Clarus [2]) cum illis commutantia observavit, uti inconsueta animi agilitas, hillaritas magna, et symptomata nymphomaniae magis ad irritabilitatem adauctam spectant, quam ad inflammationem, cum dolor inflammationis periodice non exoriens tam mutuas animi conditiones non permittit: tum in casibus in clinico nostro observatis in inflammatione et sectione quidem probata, abalienationes libidinesae nunquam observatae sunt. [2]) Haud rarius convulsiones animadvertuntur, praesertim, si medulla spinalis, et delirium si cerebrum simul peccant, quod eo facilius fieri potest, quod causae accasionales, uti secretiones lochiales et menses turbati et aliae illa organa corripere possunt.

b) Inflammatio aliis morbis complicata.

Multo frequentior quam mera, non tam celeriter et manifesto decurrit. Conditiones autem, quae morbum in tempus protrahunt, aut ex inflammatione antecedenti ortum trahunt, uti degeneratio ovarii in scirrhum et carcinoma, in fungum medullarem et haematodem, denique in steatoma et sarcoma, quae inflammationis producta cum facile removeri non possint nova irritamenta iterum partes adjacentes irritant et earum inflammationem conducunt, ita ut semper inflammatio nova aut praecedentem in degenerationem sequatur

1) Mad. Boivin: Traité prâtique des maladies de l'uterus et des anexes. Tom. I. p. 134.

2) Clarus Annalem, 1r Bd., 1. Abthlg. S. 197 — 98.

aut in suppurationem transeat et conplicationem adaugeat; aut inflammatio fit chronica seu potius conplicata ex irritamentis, quae non ex inflammatione exoriuntur, uti pilis et dentibus, concrementis lapideis et aliis, quibus de productis permulta observavere et scripsere Dreissig [1]), Otto [2]), Meckel [3]), et alii auctores, quare ea relinquam et lectorem ad scripta significata revocabo.

Symptomata inflammationis chronicae, quanquam vulgo eadem atque acututae tamen mitiora, ideoque saepe medicum inquirentem fugientia pedetentim progrediuntur remittentia interdum et in longum tempus protracta. Facillime autem a medico non observantur, si complicatio ex morbis medullae aut cerebri, uti ex irritabilitate horum organorum adaucta symptomata producit, quae observantem medicum ad illis ovariorum minus vehementibus detrahunt, uti Epilepsia et Mania.

Dignoscitur autem haec inflammatio e systemate nervorum turbato: ex alienatione morum, animi, consuetudinisque; tum e menstruis turbatis, e blennorrhoea, si ovarium utrumque peccat, e conceptione sublata, e delore in ovarii regione per coitum excitato. Mammae plerumpuae languescunt, praecipue ea lateris affecti. [4])

Suppuratio. Inflammationis signa praecedunt; tumor in loco affecto mox durus mox fluctuationis speciem prae se ferens, calet; et lintheum humidum inpositum prius siccatur, quam in latere altero simul impositum; item digito

---

1) Dreissig, Handbuch der Pathologie der chr. Krkht. 2. Th. S. 502.

2) Otto, Patholog. Anatomie.

3) Meckel in d. deutsch. Archiv für die Physiologie, 1r Bd. Halle und Berlin, IV. Hft. S 519 — 538.

4) Mende, Krkht. der Weiber. Pag. 114.

in vaginum aut rectum immisso invenis tumorem dolentem et dolorem sub pressu crescentem lateris affecti, atque haud raro fluctuationem per laquear vaginae, Cas. I); pedis laeteris affecti motus magis minusve impeditus; modo de sensu gravitatis molestae querelae; rubor genarum quasi circumscriptus; horripilationes et sudores viscosi per diem frequentes: urina turbida cum sedimento purulento; crescente morbo febris hectica cum calore ardente, siti vehehementissima vespertino praecipue tempore, pulsu parvo, debili et non freqnenti, secundum il. Nasse intio suppurationis saepe LV. mode ictuum; multum vexatur aegrota diarrhoea et dolore atrocissimo in regione lumbali. Abcessus hisce symptomatis exortus vario modo ad finem ducitur, aut in sanitatem, uti in casu II. postea sequente et in casu, quem Loiwenhardt observavit, in quo pus viam infra ligamentum Poupartii sibi patefaciens infiltrationem circa femur provacavit et aegra sanitatem recepit: aut perrumpit et ex sequelis diagnosin ab aliis ovariorum tumoribus facit certam. Si enim apperitur in cavum peritonei, vulgo fit laetalis et tumor ipse magis minusve evanescit, et dolor supra descriptus nos certiores facit, illum abcessum fuisse. Multo autem certior fit diagnosis abcessus, si hic inflammatione adhesiva cum partibus vicinis coalitus suam et illarum parietem sperrumpit, quo facto pus aut per intigumenta abdominis cum exitu optatissimo ad extera vel sua sponte [1]) vel operatione [2]); in rectum uti in casu I. et II. in va-

1) Morgagni ep. XXXVIII. §. 39. Richter, chir. Biblioth. VI. p. 658.

2) Grieselich in Rust Magazin XXXV. 3, p. 224; Burdach in Chouland, Ficinus etc. Zeitschrift für Natur und Heilkunde V, 2. 1827.

ginam cas. II.; in cavum uteri [1]) qui casus quoque sanatus est; in vesicam urinariam evacuatur. [2]) Interdum suppuratio viam sibi vindicat ad partes laterales, ad musculum psoam, ad lumbos, uti casus sequens sectione facta ostendit.

Cum symptomata et abnormis irritabilitatis et inflammationis supra denotata et meram et complicatam ovarii affectionem et morbos organorum vicinorum et primarios et secundarios, ideopathicos et symptomaticos, immo morbos, qui cum affectionibus ovariis nullum habent connexum, indicare possint, necessarium mihi videtur, ut diagnosin statuere pericliter illas affectiones inter et sequentes, quod ad partem jam fecit Clarus l. c.

a) Quomodo discrepat oophoritis de metritide?

Per sedem et vehementiam doloris: in oophoritide locus dolens magis a linea mediana carporis remotus ad regionem iliacam alterutram tendit, non tam vehehemens, quam in metritide, cum ovarium organon magis glandulosum, uterus autem musculosum sit et constet, illa organa, nisi tunica nimis densa inclusa sint, dolorem magis obtusum in inflammatione excitare. In metritide saepius ischuria, quam in oophoritide, quod Clarus item observatum contendit; hoc symptoma autem etiam in Cas. I. sequente obveniebat, sed magis ex abscessu nimis extenso ejusque pressu in vesicam, quam ex irritatione consensuali. Pulsus in metritide vere inflammatorius, in hac autem uti quoque plerumque in hepatitide, debilis, non frequens 55 ictuum. Secundum Clarum forma tumoris in abdomine sentienda diagnosin certiorem reddit; in oophoritide magis ro-

---

1) Rust Mag. der ges. Heilkunde V. 3. — Romberg in Koopers Wochenschrift für die pract. Heilkunde 1833, N. 748, S. 135.

2) Heidelb. cl. Annat. übersetzt von Becker, Leipzig 1830, 2 Thle. Seite 403.

tunda in metritide piriformis, quod symptoma aliquid dignitatis secum fert, si uterus inflammatus locum ovarii non accupaverit, ubi tum exploratio per vaginam et per rectum nos de organo peccante certiores facient.

b) De meningitide? Pulsu non frequenti et debili, et calore capitis non tam adaucto; succusio capitis non tantum dolorem excitat; in meningitide pulsus carotidum fortissimus, valde plenus et durus, in mera oophoritide, uti supra jam descriptus; conjunctiva bulbi magis rubra, oculi plendent, quae omnia in oophoritide desunt.

c) Ab illa conditione cerebri, quae vulgo cum typho est conjuncta et delirium adducit? In hac conditione vires celeriter languescunt, typhus plerumque epidemicus vel endemicus contagium secum fert; in typho multae aliae corporis organorum functiones magis laesae sunt, uti sensuum et digestionis; sensus communis interdum tam adauctus, ut tactus fere in quemque superficiei locum applicatus dolorem vehementem excitet, de quo hoc tempore aestivo in clinico medico nostro permulta exempla obvenierunt; tum eruptio cutis in forma stigmatum exoriens in oophoritide non occurrit. In hac quidem delirium exoriri potest, delirio autem dolor in loco affecto antecessit, simulque dolor ibi ex prossu magis augetur, quam in ullo alio loco. Digestio non tam celeriter turbatur, quod praecipue e conditione linguae elucet, quae in typho massa fusco-flava plerumque crassa est obtecta; item auditus et visus, qui in typho vulgo irritabilitate abnormi laborant, in oophoritide rarius peccant.

d) De mania? Utrum haec sit mera, an cum morbo ovariorum quodam conciplicata, seu symptomaticus morbus ex affectione ovariorum, praecipue ex anamnesi intelligi debet; si enim causae occasionales, uti terror, vanus in vi-

rum amor, menses aut lochia turbata etc. antecesserunt maniae, si ante hanc exortam dolor obtusus in regione ovarii, si mastrupatio sunt detectae, tum veri simile est, maniam ex affectione ovarii esse exortam, quibus symptomatis conditionibusque deficientibus mamiam meram habemus e cerebro ortum trahentem. Clarus l. c. affirmat, aegrotas mania ex ovariis laborantes semper de hominibus alterius generis dilectis delirare, in mania autem ex alio organo plerumque irasci illas viris, quod mihi veri simile videtur. cum in nosocomio Siegburgensi, ubi per IV. septimanas versatus sum, duo casus obvenerint de mania vere furibunda, uti ex anamnesi et auscultatione elucebat, in quibus ovaria non primum, immo menime peccabant.

Casus I.

Anamnesis.

Mulier P. a prima aetate usque ad annum XXVII. semper bona valetudine et corpore robusto gavisa est. In primo autem partu obstetricen peccatum, quod ipsa autem non cognoverit, commisisse confirmat, cum medicus advocatus illi approbria fecerit. Morbosi cujusdam quidem non reminiscitur, bis autem postea foetum septem mensium se peperissi post ultimum autem partum dolore in regione inguinali sinistra quoque mense ante fluxum mensium incipientem redeunte vexatam fuisse affirmat. Quocum dolore quaque vice magnam copiam fluidi mucosi, quod postea magis magisque purulentum factum esset, per rectum efluxisse. Quater quoque hemorragia ex vagina valde debilitata est. Primo tempore dolor in regione inguinali sinistra mensium

fluxu in aliquos dies removebatur, tum autem semper constantior pure solum per rectum evacuato paululum minuebatur. Dum simul vires valde evanescerent et dolor aegrotam valde deprimeret, die XXI. Augusti 1839 in clinico medico auxilium petiit.

Conditio aegrotae, quam practicans illo die invenit:

Aegrota valde emaciata, animo tristi et moroso queritur de dolore in regione inguinali sinistra sub pressu et extensione extremitatum inferiorum et situ in latere dextro crescente. Tumor ab explorante non inveniebatur. Exploratione interna nihil abnorme inventum, nisi portionem uteri vaginalem magis, quam secundum normam dependentem et ad latus spectantem sinistrum ac orificium uteri externum tanti magnitudinis praebentem, ut apice digiti indicis facile intrari possit. E recto magna materici purulentae copia male olens evacuatur. Diggestio non peccat; alvus interdum obstructa. Menstrua ex duobus mensibus jam retenta.

Diagnosis: Suppuratio ovarii sinistri, cujus abcessus in rectum viam sibi fecit.

Dieta blande nutriens, quies et consilium agrotae data sunt, abdomen lanis involvendi.

24. Aug. Ad tollendum dolorem et mitigandam inflammationem cucurbitulae in regionem iliacam positae sunt cum successu petito.

31. Cum dolor usque ad hypochondrium sinistrum extensus esset, iterum cucurbitulae, et die 3. Septbr. vesicatorium positum etemeticumque contra symptomata gastrica praescriptum.

17. Menses primum ex duobus mensibus rediere, copia puris per rectum evacuata permagna; dolor in regione inguinali sinistra in femur sinistrum et in latus abdominis

dextrum extenditur; cum alvus ex tribus diebus esset obstructa, ol. Rincin. datum est.

20. Ex illa medicina bis alvus soluta, dolor minutus, lingua albide obtecta, pulsus debilis, emeticum ex Ipecacuanha.

24. Diarrhoea et tenesmus inter se invicem oriuntes prolapsum parietis vaginae posterioris conduxerant, qui quidem repositus cum conaminibus alvum deponendi redibat.

25. Spongia marina in vaginam missa; dolor non tam magnus atque antea, sed ischuria aegrotam valde vexabat.

26. Diarrhoea et tenesmus per plures dies mutuo exorta.

31. Dolore vehementissimo et diarrhoea vires valde deprimuntur. Emulsio cum opio data illum sustulit, ad vires servandas Columbo datum est simul cum cura, ne alvus obstrueretur seu nimis luxaretur usque ad diem:

24. Oct. Symptomata febris hecticae crescunt, appetitus ciborum valde minutus, et dolor in regione inguinali vehementissimus, quare cataplasmata e speciebus emollientibus cum herb. Hyosc. praescripta sunt et inito quidem cum bono eventu, postea autem onere nimis malesta facta. Medicina ex Columbo continuata.

26. Dolor, diarrhoea et ischuria somnum omnino turbant, et aninum valde deprimunt, e magna puris ejecti copia dolor aliquantum minutus, vires magis magisque evanescunt, Phelandrium in Infus. praescriptum, cui postea opium additum est. Ad vesperam item Pulv. Dooverii gr. VIII. data, ut aliquid dormiret aegrota.

27. Conditionem suam renovatam nominat aegrota, quia bene dormiverit, ad vesperam autem eodem gradu atque antea loborabat.

Cum haec cura parum conduceret, per nonullos dies omnis medicina seposita est et tantum curabatur, ut alvus satis laxaretur, tum autem iterum Infus. Pheland. cum opio praescriptum, quia egrota medicinam postularet.

29. Aegrota propter dolorem vehementissimum valde morosa vix respondit, hirudines applicatae in breve tempus dolorem minuunt, symptomata autem febris hecticae, pneumonia tamen exorta mortem post duos dies adduxerunt.

Sectio. In superiori pulmonis sinistrae parte sicut in pleura ejusdem loci tubercula disparsa, lobus inferior totus fere hepatisatus in facie incissionis punctis purulentis intertinctus: bronchi materia rubra fluida, spumosa impleti, tunica mucosa ipsa glabra, aequaliter rubescens, crassior, et magis mollis quam secundum normam. Lobus pulmonis dextrae superior sanguine vacuus, pleura item tuberculis nonnullis superficie plana privata; in lobo inferiori materies purulenta, tunica mucosa bronchiorum muco flavo, spumoso obtecta. In corde nihil abnorme, sicut in ceteris abdominis organis, ovariis exceptis. In cavo pelvis minoris materia fluida, purulenta VIII fere lib., quae sub ligamento uteri lato fontem habere videtur. E cavo pelvis ovaria et uterus, quorum hic volumine multo minore illis erat, prominebant, avaria tumorem magnum fluctuantem praebebant. In musculis iliacis et psoade lateris dextri nihil abnorme, tela cellulosa, quae musculos illos lateris sinistri circumdat, et magna musculi iliaci pars evanitae. Spina anterior superior oss. ilei in latitudinem quatuor digitorum fere periosteo privata et aspera, quo loco abscessus 3″ longus ab antero posterum 2″ et 2″ in superficie externa ossis descendes. Sub ligamento Poupartii super musc. iliac. cavum 2″ longum; alterum juxta vasa cruralia in facie posteriori musculi pec-

tinei usque ad foramen ovale, 4'' profundum sub adductorem brevem, inter hunc et adduct. longum usque ad tuber oss. ischii post semitendios. semimembranos. ad trochanterem minorem descendit. Supra musc. piriform. abscessus 2'' externum tendens inter musc. glut. De utero nihil abnorme. Utrumque ovarium in vomicam magnam mutatum, quae utraque apertura cum recto communicat. Vomica ovarii sinistri maior illa dextri, 4'' in diametro; parietes ejus valde tenues vix unam lineam tenentes facile dilacerari possunt, et aperturam magnam, quae inter telam cellulos. ligamenti uteri lati puri via praebebatur, ostendebat. Vomicae ovarii dextri 4'' in diametro continentis parietes 3''' crasae aperturam cum margine pulposa et 4''' in diametro extensam cum recto communicantem offerebant. Superficies interna utriusque ovarii fere nigra et pus fusco-nigrum. Tuba dextra normalis, sinistra autem cum ovario concreta, morbose dilatata, tunica canalis interna ejus eodem colore atque ovaria.

In hoc casu, qui semper magna cum inflammatione e dolore vehementi cucurbitulis possitis evanito manifesto erat conjunctus, per totum morbi decurrsum symptomata animi functionum laesarum, uti maniae, nymphomaniae etc. deficiebant, symptomata, quae a plurimis scriptoribus, ut a Cloro l. c., Caro: Gynaecologie p. 402, Mende, et aliis ad inflamationem necessaria habentur. Si accuratius rem perscruteris, facile intelliges, functionem systhematis nervorum inflammatione organi perturbatam talia non permittere, immo nimis conducere, quae dolorem adaugeant; uti coitum frequentem, motus femorum indecoros. Si enim oculus laborat iritide, auris inflammatione tunicae cujusdam aut periostei, si cerebrum peccat meningitide, certe nunquam obveniet oculum irritamentum lucis magis

petere, quam in conditione sana, aurem item fortiorem sonum aut crepitum amare, quam sanam; neminemque effugiet, aegrotum in meningitide omnia, quae cerebrum incitare possint, caute removeri optare. Cum autem ovarium inflammatorium e cohabitatione et motu a scriptoribus observato indecoro femorum et mechanice et ex systemate nervorum toto fere sympathice affecto dolorem adaugeri necesse sit, admodum verisimile est, aegrotam talia non cupere, sed potius removeri studere, uti in casu antecedente et sequente et in duobus aliis in clinico observatis, in quibus ex abscessu perrupto in diagnosi de inflammatione praegressa certissimi facti sumus, observatum est; nulla unquam cupiditas libidinosa, non mores indecori, non nymphomaniae symptomata exorta sunt; aegrotae decumbent semper latus affectum ocservantes, quamque femorum flexionem et extensionem ab auctoribus aliis significatas caute vitabunt et femur semi ad abdomen adductum tenebunt. Cum autem haec symptomata a scriptoribus observata certe occurrant, etiam conditionem ovariorum exoriri necesse est, in qua talia obveniant; hanc autem affectionem irritabilitatem adauctam supra symptomatibus jam significatam habeam, quae cum degeneratione, sed non inflammatoria conplicata esse possit, uti induratione, hydrope, corporibus alienis et aliis.

Casus II.

Mulier W. viginti sex annos nata, primipara statura satis robusta habitu leucophlegmatico die XXIV. Novembris MDCCCXXXIX sine molestia quadam peperit; in pri-

mis puerperii diebus alvus tenaciter obstructa et dolor in regione iliaca sinistra exortus est, qui per tres septimanas protractus et die duodecimo Decembris valde exacerbescens aegrotam in clinico medico auxilium petere coegit. Curanti, domino Soer, cui tradebatur, refert aegrota die sequenti, dolorem sub pressu crescentem pridie non ferendum et cum horripilatione totius corporis conjuctum fuisse.

Conditio praesens de die XII Decemb. Pulsus duriusculus aliquid accelleratus; sudor profusus; in mammis adhuc aliquid lactis; e vagina materia alba-rubra, fluida, valde foetens evacuatur; digito in vaginam immisso animadvertit calorem adauctum, in recto faeces duros; in latere sinistro tumorem sub tactu delentem. — Ex nudius tertius alvus non soluta; praecipue refert practicans, surditatem in crure lateris affecti non adfuisse.

Diagnosis: oophoritis lateris sinistri. Contra quam laxantia salina, duodecim cucurbitulae in regionem iliacam sinistram et Ungt. cin. ter per diem in latus cruris internum inungendum praoscripta.

14. Conditionem multo meliorem laudat; ter alvus soluta; per noctem dolor in regione iliaca sub pressu et in vagina sub tactu non tam vehemens, ut antea; tumor in vagina sentiendus minor; iterum cucurbitulae praescripta et ad vesperam ulvus clysmate laxata.

15. Per noctem, postquam ad vesperam jusculum ex avena ecorticata sumsit, magna flatulentia iterumque dalor in abdomine semper crescens scindens. Abdomen valde tensum sub tactu jam leviore dolet; magna sitis; lingua pallida obtecta; facies collapsa pallida et frigida; pulsus durus, parvus, centum et viginti ictuum in horae minuta parte; urina rubra. Quibus ex symtomatibus elucebat, peritonitidem etensione ab ovario propagata exor-

tam esse. Venaesectione facta et cucurbitulis in abdomine positis Natr. sulphuric. in Aq. foenic. solut. simulque Calomelanos gr. II praescripta sunt, ita ut per vices sumerentur. Tum cataplasmata cum herba Hyosc. adhibebantur. E venaesectione et cucurbitulis dolor statim minuebatur. Ad vesperam dolor minus vehemens, pulsus adhuc duriusculus; vomitus mucosus; sub venesectione Unc. XII repetita, pulsus aliquid fortior factus est, Ungt. cin. et cucurbitulae iternm ahibitae.

16. Per noctem quatuor horas dormivit, flatulentia et dolor in abdomine iterum majores; in sanguine venae emissa crusta inflammatoria, quae primum non adfuerat. Nullus effluxus e vagina, dolor vehemens ad vesperam, pulsus frequentior, sitis magna, iterum Unc. VIII sanguinis e vena secata emisae. Cucurbitulae, Ungt. cin. et cataplasmata cum herba Hyosciami, quibus adhibitis aegrota meliorem se sentiebat, simulque nocte fluxus materiae rubrae e vagina incepit.

17. Aegrota multo melior bene dormivit, alvus bis soluta, abdomen non tam tensum, dolor cum accessionibus incipiens in regione sacrali naturam dolorum parturientium habebat. Praescriptum est Acid. hydrocianic gtt. XII in Aq. foenic. Unc. VI trihorio cochlear sumendum. Cucurbitulae, Ungt. cin. repetita sicuti cataplasmata illa. Per diem multi flatus evacuati; dolor ille minutus.

18. Abdomen aliquid tensum; in regione iliaca sub pressu dolor non vehemens; pulsus frequens mollis, iterum cucurbitulae applicatae, Ungt. inunctum et ad usum internum Calomel cum Herb. Digit. praescriptum est. Alvus saepuis soluta.

19. Diarrhoea, quae per tres dies jam adest, dolorem valde minuit. In dorso et pectore miliaria exorata est cum

sensu pruritus et ictuum conjuncta. Pulvis e Calomel. et cataplasmata continuata.

20. Dolor in regione iliaca sinistra minor et sub pressu vehementiore exoriens; abdomen adhuc aliquid tensum; gingiva tumescere incepit, quare Calomel sepositum est.

23. Quotidie alvus pluries laxata, effluxus sanguinosus e vagina sistit. Pressus ad tumorem per vaginam non dolet. Ungt. cin. quotidie inungitur et ad vires sustentandas Arrow Root cum lacte sumendum praescriptum; flatus aegrotam valde vexant sursum et deorsum turgescentes; pulsus acceleratus, sudor adhuc profusus; facies pallida. Ungt. cin. sepositum et pulveres e Magnes. sulphuric, Rheo et seminibus foenic. datae sunt.

25. Abdomen minus tensum; in regione iliaca sinistra tumorem duriusculum, non fluctuantem 3″ altum et 2″ fere latum musculis abdominis anterioribus adjacentem, et facile movendum inveni. Exploratio per vaginam sub pressu fortiore in tumorem aliquid doloris excitat. Pulsus adhuc acceleratus, parvus; sudor copiosus, in femore lateris affecti non sensus abnormis. Unguent. cin. ter per diem V. — VI. gr. inunguntur; die tertio vel quarto laxans salinum datum. Quae cura continuata est usque ad VIII diem Januarii.

8. Januarii. Postquam coitum exercuit, nova inflammatione ovarii correpta sed cucurbitulis duodecim applicatis ita ab ea sanata est, ut interdum lectum relinquere et negotiis incumbere posset, interdum autem propter sudorem profusum decumbere deberet. Adhaesio filamentosa inter ovarium et uterum sentitur.

12. Tempus quando menses instant. Materia rubropallida e vagina duos per dies effluebat; tumor in exploratione interna sub pressu profundo dolens; flatus frequen-

tes praecipue ad vesperam abdomen tympanitice extendebant; gingiva adhuc tumefacta; lingua semper pallida, obtecta; pulsus parvus, celer. Praescriptum est Infus. Calam. aromat. ad usum internum et gargarissma e Dect. Salviae. Ungt. cin. sepositum.

20. Per noctem materia rubro-albida e vagina evacuabatur: symptomata salivationis evanita, quare iterum. Ungt. cin. inungitur.

21. Tumor iterum inflammatus: cucurbitulae decem cum bono successu applicatae sunt.

23. Fluxus e vagina per unam noctem modo adfuit; iterum miliaria cum sensu formicationis exorta; sudor copiosus, facies pallida.

26. Tumor aliquid minutus non tam dolens; adhaesio filamentosa illa iterum evanita. Symptomata salivationis rediunt. Kali hydrojod. 3β in Unc. VIII. Aq. destill. solut. per diem cochlear magnum sumendum praescriptum est.

30. Medicina illa continuata est usque ad diem secundum Februarii, symptomata salivationis evanescunt.

3. Februari. Tempore matutino aegrota dolore vehementi, pungente in latere sinistro, simulque nisu frequentissimo urinae mittendae et quidem sine successu vexata est. Sed sub mingendi niso loco urinae quaque vice copia parva fluidi flavi sanguine mixti ab aegrota pus nominati e vagina effluebat usque ad vesperam et cum dolore comitante, tum autem copia unciarum sex ejusdem fluidi simulque cum dolore omnino fere evanito evacuata est. Sub hoc effluxu aegrota sensum habebat, qualis exoritur, si abdomine dolente urina mittitur.

4. Tumor ad dimidium fere minutus non dolet; dieta magis nutriens et pulvis Phellandrii aquatic. cum eleosaccharo foenic. praescripta est. Quae cura usque ad diem

duodevicesimum Februarii continuabatur, in quo temporis spatio facies pallida, pulsus frequens, saepe sudor copiosus, non dolor in abdomine, quamquam persaepe, praesertim ad vesperam flatus exoriebantur.

18. Ad vesperam in regione iliaca sinistra dolor vehementissimus, scindens, ut aegrota timore de morte imminenti liberari non posset; a quo dolore mox in deponendis faecibus cum materia puriformi et sanguinosa mixtis liberata est. Quantitas puris evacuati circiter uncias sex continebat. Die sequente aegrota bonam se sentiebat. Phellandrium continuatum. Diebus proxime sequentibus aegrota in linteis saepe aliquid fluidi puriformis, quod ipsa inconscia effluxerat per anum, animadvertebat. E vagina nullus hucusque effluxus. Tumor circiter ad duplicem ovarii magnitudinem minutus integumentis abdominis non adjacens.

26, Propter catarrhum acquisitum Phellandrium sepositum et Dect. Alth. et Spec. pectoral. postea Ammon. mur. cum Tart. stib. data sunt.

4. Martii. Symptomata catarrhi evanita; neque e recto nec e vagina fluxus puriformis; conditio aegrotae multo melior, pulsus autem aliquid frequens; sudor non capiosus, ad vesperam flatibus vexatur. Phellandrium forma sequenti praescriptum: Rp. Semin. Phelland. Unc. VI.; semin. foenic; Pulv. arom. aa Unc. II. m. f. pulv. d. s. 3mal täglich eine Messerspitze voll zu nehmen.

12. Molimina menstrualia justo tempore dolore in regione sacrali se manifestantia menses tres per dies fluentes excitabant, quare Phelland. statim sepositum.

15. Mensibus finitis nocte sequente iterum aliquid puris sanguinosi e vagina aegrota inconscia, sicut in noctibus quatuor sequentibus effluxerat. In faecibus ab aegrota ac-

*

curate conspectis nihil puris inventum est. Dolor in regione iliaca sinistra nullus, facies sanitatem redeuntem indicans, pulsus non frequens, sudor parcus, lingua ad normam tendens; ad vesperam flatus aegrotam interdum vexant. Ita aegrota per longum tempus negotio incumbens curae se detraxit, donec post duos menses rediret cum tumore majore et fluctuante non valde dolente; quare operatio ad aperiendum abscessum per vaginam ei proponebatur, quam vero omnino recusabat. Domum regressa post nonnullos dies retulit, per vaginam magnam puris copiam evacuatam, ipsam vero restitutam esse. Cum hujus casus studio impletus essem, mulierem nuper adii, ut viderem, quomodo se haberet; et affirmat, se ex illo tempore semper sanam fuisse, quando ultimum in clinico fuisset.

In hoc casu igitur videmus, naturam ter viam pus evacuandi mutasse tandemque suffecisse abcessu excicatrisato ad morbum ovarii omnino tollendum; deinde quoque certat pro sententia, inflammationem etsi vehementissimam non perturbationes animi, ut nymphomaniam producere, immo aegrotam valde morosam facere; denique, non necesse esse, ut surditas in lateris affecti femore semper adsit

Induratio ovariorum. Cum verisimile sit, indurationem plerumque ex inflammatione etsi levi exoriri, forsitan primo initio dolor obtusus, pungens in latere affecto. Plerumque autem malum ad tantam amplitudinem extensum est, si medicus advocatur, ut plessimetro ibi apposito sonum fusciorem extensiorem inveniat; et apice digitorum si integumenta abdominis in regione iliaca affecta deprimis, corpus duriusculum magnitudine nucis juglandis aut maiori, sub pressu non valde dolens invenies. Aegrota queritur [1])

1) Carus l. c. p. 413 et 40 7.

in latere affecto, vulgo sinistro, de dolore abtuso, premente, quocum simul femoris motus magis minusue impeditus et oedema femoris est conjuctum, aegrota latus non affectum incumbere non potest; menses primum quidem adhuc fluunt, postea autem irregulares fiunt. Ovarium induratum abscessum non esse, statuere possumus, si jam dudum exstitit sine magna reactione in sanitatem totius corporis, si dolor vere inflammatorius non antecessit, quem dolor suppurationis incipientis pungens, pulsans sequebatur; praesertim autem, si auscultatione per vaginam corpus darum, non fluctuans et potius frigidum, quam calidum ex pressu non dolens invenies. Longum per tempus haec induratio persistere potest, quin vitam aegrotae periclitet, si autem degeneratio inde exoritur, symptomata mox vehementiora et deteriora fiunt. Facillime enim exoritur scirrhus, quem carcinoma appertum mox sequitur. Dolor lancinans, trahens usqe in regionem sarcalem, lumbalem et in femur lateris affecti; variae affectiones spasmodicae, praesertim spasmus colli vesicae urinariae in urina mittenda, stranguria, diarrhoea cum alvi obstructione mutuans, uti in casu ex clinico chirurgico in muliere L. saepius observavi, symptomata hujus morbi sunt. Confutari potest haec affectio ovariorum cum graviditate extrauterina, praesertim si scirrhus tantam magnitudinem assecutus est, quantam Ridley conspexit, ubi pondere fuit triginta septem lib., et van den Bosch, ubi moles informis pondere centum et quinque lib. inventa est. Anamnesis, exploratio interna per vaginam et rectum, conditio portionis vaginalis et motus foetus tanti magnitudinis certe manui obtestricis non incogniti et tempus, per quod hoc malum perstitit, diagnosin affirmabunt.

Ab hydrope ovarii primo tempore quidem dignosci

non licet, si autem maior fit tumor, tum sonus valde fuscus in scirrho, et peculiaris in eo dolor praegressus tardior indurationis ad diagnosin sistendam conducent. [1])

Hydrops ovarii. Non raro occurit, et opinioni Cari assentiam, qui ex functione ovariorum constituta, post conceptionem vesiculas, fluido aliquo inpletas producendi, quoque hunc abnormem formandi nisum deducit.

Symptomata: tumor in regione affecta non tam durus, non tanto calore atque inflammatorius, interdum fluctuans, sonum peculiarem cavi aquam continentis, secundum il. Nasse, praebet; abdomen magis minusve aequaliter extensum; undulatio. Digito si exploras per vaginam, portionem vaginalem uteri [2]) ad latus affectum, fundum autem uteri ad alterum inclinantem invenies, non extensum et gravidum sed facile tollendum; portionem vaginalem et orificium uteri non mutatum uti in graviditate. Dolor non lancinans ut in scirrho, sed magis premens in laquear vaginae; evacuatio urinae et alvi magis minusve irregularis propter vim mechanicam tumoris in vesicam et rectum. Intumescentia in abdomine magis ex uno latere non tam celeriter crescit ac graviditas, quae in tanta jam extensione motibus foetus et aliis graviditatis signis ab illa dignosci potest. In hydrope ovarii tumor abdominis magis circumscriptus, in ascite autem per totum abdomen aequaliter extensus; in illa fluctuatio non tam manifesta, et secundum Carum l. c. in hydrope ovarii celerius crescunt symptomata corporis totius affecti.

---

1) Ueber scirrhöse Entartung sieh ferner Sieholds Journal für Geburtshülfe. 1r Band. S. 418. Neue Denkschrift der phys. med. Societät zu Erlangen. 1r Bd. 1812. Seite 223. Ferner Starks Archiv. 1r Bd. 12. Stück.

2) Carus l. c. p. 407.

Ubi massa exsudata autem sedem habeat in ovario, ex symptomatibus non accurate distingui licet; forsan si cavum tumoris parietibus in plures partes est divisum, superficiem inaequalem sentire licebit. De ceteris autem hydropis formis, uti hydatidosa simplici ac composita a scriptoribus sic dictis, diagnosin facere non licet. Fortasse in his tumor non tam celeriter et ad tantam magnitudinem, uti in hydrope mera, crescit.

De graviditate ovarica, cum jam per saecula plura observationes et descriptiones factae sint, uti a Boehmero [1]) Frankio [2]), et ab Heimio [3]), qui scriptores diagnosin et decurrsum laetalem bene exposuerunt, hanc ovariorum conditionem omittam et in locos citatos lectorem benevolum reducam.

Prognosis.

In irritabilitate adaucta functiones cerebri et medullae spinalis laesae haud raro tantam amplitudinem conplectuntur, ut medicum ab organo protopathico deducant, qui tum sine omni eventu symptomata curet non autem ovaria aegrotantia; irritabilitas adaucta, si irritamenta seu e cura non justa seu ex aegrotae culpa adhuc accedunt, facile in

1) P. le Böhmeri, observat. arat. rariorum fasc. I. p. XXI.

2) P. Frank, Epitome Lib. 6. Pars 2. p. 277.

3) Heim, Erfahrungen etc. in Horns Archiv für med. Erfahrungen. 1812; 1r Bd. S. 1 — 38.

inflammationem, et in morbos ex hac sequentes, transit. Conditio aegrotae melior est, si e causis physicis, quam si e psychicis ortum detraxerit, cum primae facilius sint removendae, quam haec; causae autem physicae quoque facilius irritationem et ex irritatione inflammationem conducunt, uti irritamenta in organis vicinis et in ovariis ipsis, secretiones ovariorum turbatae. Et quanquam irritabilitas mera per longum temporis spatium existere non possit, tamen cum degeneratione secuta, ut morbus complicatus chronicus permagnam vitae partem miserrimam facere potest eoque difficilius tollitur, quo diutius jam adfuit. Facillius irritabilitas adaucta tolli potest, quae in annis incipientis pubertatis exorta est, quam illa in involutione, fascilius certe ex mensibus turbatis, quam e lochiis perpulsis conducta.

Irritabilitas minuta ad vitam tollendam quidem non multum conferens de sterilitate autem timire sinit.

Infl. mera si statim cognoscitur, cura antiphlogistica facile resolvi potest, si autem, uti a plurimis factum est, in locum irritabilitatis adauctae ponitur et remediis huic convenientibus curatur, inflammatio non solum non removetur sed causa ad innumeras alias ovariorum destructiones, uti ad indurationem, scirrhum et alias ponitur, tum uti in omnibus fere organis glandulosis currsum occupabit chronicum et plerumque laetalem. Exitus inflammationis, illo in sanitatem excepto, optimus certe suppurationis. Cum formatione abcessus semper inflammatio est conjucta, quae tunicam ovarii cum organis vicinis coalescere conducit, ita ut abcessus suppuratione progressa viam sibi patefaciat vel ad extraneum vel ad interna, uti supra jam denotatum est. Optimam sanitatis rediuntis spem praebet ille abcessus, qui in rectum vel in vaginam sicuti ad extraneum, omnino autem laetalis, si in vesicam urinariam, minima autem in

spe ponitur abcessus, si inter musculos lumbales inter illos femoris aut in peritoneum perrumpit; in casu primo mors ex phthisi, in hoc autem ex inflammatione nova peritonei primum in pelvi et deinde in toto abdomine exoriente vitam aegrotae finiet. Suppuratio unius ovarii nisi nimis longum tempus durat et vires aegrotae consumit, neque in sanitatem individui nec in illam generis magna incommoda fert, cum, uti in casu supra descripto elucet, conceptionis facultas persistere possit, quando alterum jam ovarium suppuratione aborat. et certe ad fecundationem nihil confert.

Induratio item initio facile medicaminibus resolventibus removeri posset, si statim dignosceretur, quod autem plerumque non fit. Induratio semper crescens novum irritamentum et irritationem adtrahit, quo fit, ut mox in scirrhum et carcinoma transeat, et ex hoc exitu mortem vulgo conducat, nisi medicaminibus probatissimis aut operatione, exstirpatione ovarii affecti removeatur.

Hydrops ovarii. Magnum quidem ambitum assequi potest ovarium hydropicum; plerumque autem sacco nimis tenso perrupto peritoneitis indeque mors adtrahitur, quare non multum de ejus cura sperandum, sicuti de graviditate ovarica semper mortem mox celerius mox serius imminentem in prognosi affirmare possumus.

C o n s i l i u m. Causae occasionales frequentissimae, suppressio aliaeque turbationes mensium lochiorumque, irritationes genitalium variae e remediis emmenagogis purgantibusque drasticis, masturbatione; abortus, partus difficilis, conpressio ex organis degeneratis vicinis, praecipue coitus ante dubertatem et nimis frequens, ejusque consueti privatio, metastases aliorum morborum, variae dictae vitia, animi affectus.

Irritabilitas adaucta. In primis causae occasionales re-

moveantur, uti coitus, sequelae e puerperio turbato, quales praecipue morbi metastatici e secretionibus turbatis sunt. Animus rebus ab illis ad vitam sexualem pertinentibus alienis occupetur, legat libros res sacras continentes, abstineaturque a conspiciendis tabulis pictis incastis. Menses seu secretiones lochiales restituantur. Tum balnea tepida, cataplasmata cum herba Hyosc. s. capitibus papaverum, clysmata cum oleis narcoticis, ut alvus bis terve quotidie solvatur. Interne item narcotica; secundum il. Nasse Camphora in forma emulsionis, seu cum saccharo.

Irritabilitas minuta, s. torpor. Praecipue remissius et dulcius legat libros, qui phantasiam leviter excitent. Tunc remedia, quae vim systematis nervorum excitent, uti Ammonium, Arnica, Sabina, externe inungatur Ungt. volatile Ungt. Sabinae.

Oophoritis. Caveant, ne secretiones normales turbentur; turbatae restituantur. Irritamenta si adhuc adsint removeantur. Tum methodus antiplogistica sed non fortis adhibeatur. Vena secetur, si inflammatio et dolor vehemens in peritoneum extendi videtur; si non, tum cucurbitulae in regionem affectam applicatae, hirudines ad anum seu ad labia vaginae. Clysmata frigida. Laxantia e Calomelano cum Nitro dep. Mercurium in refracta dosi cum Hyosciamo, et cum camphora, si simul irritabilitas adaucta adest. Diaeta item antiphlogisistica. Si exorta est oophoritis in puerperio, cauta manu frigorem externe adhibeas, ne secretio lochiarum turbetur, seu turbata remaneat; tum medicamina interne sumenda supra jam nominata sufficient. Praecipue autem vigilari oportet, num simul cum oophoritide medulla spinalis an cerebrum peccet; in tali casu saepe in medulla seu in cerebro morbus gravior obvenit, ideoque curam propriam poscit. Si inflammatio stadium acutum

transit, considerari oportet, quaenam conditiones in ovariis facilius exoriri possint: num symptomata hydropica, an indurationis, an suppurationis exoriantur. In primis casibus Ungt. hydrarg. et in induratione Jodeum externe interneque praecipue cum successu adhibetur; si autem suppuratio certe exoriri inceperit, cataplasmata cum herb. Hyosc. celerius suppurationem ad finem ducunt. Suppuratio, ut jam dictum, tum, quantum fieri potest, curetur, ut abscessus in loco aptissimo aperiatur, forsitan situs aegrotae multum ad hoc conferre potest. Fluctuatione manifesta, statim aperiatur abcessus, ne in locum evacuetur, ubi inflammationem novam et periculosam excitare posset; sii igitur fieri potest, viam abscessui facias seu in rectum seu in vaginam, seu, si cohaesionem ovarii cum pariete anteriore abdominis dignoveris, ad externum. Tum vires sustententur ad suppurationem ad finem ducendam diaeta blanda nutriente, non autem nimis excitante, ne nova inflammatio exoriatur; Phellandrio, China; nova inflammatio exorta cucurbitulis, hirudinibus debelletur. In hydrope inflammatio detineatur; si massa exsudata fit nimis magna, ita ut organa vicina premantur, paracentesis pro tempore auxilium feret; de cura radicali parva spes. Degenerationes ovarii aliae et pseudoproducta item solam curam mitigantem et palliativam non autem radicalem permittunt; quare curetur, ne inflammatio exoriatur, ne partes adjacentes nimis incommodentur, ut alvus laxetur. Exstirpatio ovarii degenerati unicum remedium radicale foret, si tempore, quo totus organismus non participat, institueretur; cum autem malum ab aegrotis negligatur et a medicis ejus natura facile dignosci non possit, ejus successus in diem magis ambiguus redditur.

Vita.

Natus sum ego Fr. Wilhelmus Loeper anno MDCCCX die XVI Aprilis in pago Oestereiden nominato, di Guestfalia sito, parentibus Casparo Henrico Loener, agricola et Agnesia, e gente Bartholme, quam ultimam jam ex multis annis morte abreptam lugeo. Fidem catholicam profiteor. Sedecim annos natus in progymnasium Retbergense receptus, ubi per quinque annos hujus gymnasii classes absolvi; tum per ainum unum et dimidiatum in gymnasio Arnsbergensi versatus cum maturitatis testimonio anno MDCCCXXXIV tempore paschali ad institutum medico-chirurgicum, quod Monasterii floret, me contuli ibique per biennium audivi praelectiones de botanice, zoologia, nec non facultati philosophicae adscriptus mineralogiam apud cl. Becks, de chemia experimentali apud cl. Schmedding, de physice apud cl. Roling, de anatomia generali nec non speciali apud cl. Tourtual jun. et cl. Riefenstahl, qui et in cadaveribus dissecandis duces mihi fuere, de pathologia et therapia generali, de materia medica et diatetica apud cl. Wirtensohn; de pathologia et therapia speciali apud cl. Pellengarr; de chirurgia generali et speciali, de ossibus fractis et luxatis apud cl. Klatten et cl. Riefenstahl, qui etiam fascias et ligaturas rite applicare me docuerunt; de operationibus chirurgicis apud cl. Tourtual. Anno MDCCCXXXVIII tempore paschali

almam musarum sedem Rhenanam petii, ubi a rectore magnifico Welker inter cives academicos receptus et a decano facultatis medicae spectatissimo Harless numero medicinae studiosorum adscriptus sum. Lectiones, quas ibi frequentavi, sunt hae:

De logice et psychologia disserentem audivi ill. Calker; de physice experimentali ill. Plücker; de chemia experimentali ill. Bergemann; de anatomia chirurgica, de morbis oculorum et operationibus ophthalmiatricis ill. Wutzer; de arte obstetrica, de instrumentis obstetricis, de morbis uteri et puerorum ill. Kilian; de therapia speciali, de anthropologia, de educatione medici ill. Nasse; de materia medica, de medicina forensi, de epizootiis et de formulari ill. E. Bischoff; de physiologia ill. Mayer, de therapia generali ill. Harless; de historia medicinae saeculi MDCCCC ill. Naumann. In practicis exercitationibus duces mihi fuere: in clinico obstetricio ill. Kilian, qui etiam in exercitutionibus in phantomate instituendis mihi moderator fuit; in clinico propedeutico ill. Nasse, qui quoque per quatuor fere semestras consiliator fuit in curandis morbis et in clinico chirurgico et ophthalmiatrico, in operationibus chirurgicis in cadavere nec non in aegrotis instituendis ill. Wutzer.

Quibus viris omnibus optime de me meritis gratias habeo, semperque habebo quam maximas.

Theses defendendae.

1. *Alienatio mentis est morbus symptomaticus.*
2. *Resectio in articulis falsis sanandis ne primum sit chirurgi remedium.*
3. *Funiculus umbilicalis est ligandus.*
4. *Omnes sanari morbos non licet.*
5. *Functiones singularum cerebri partium distinguere non possumus.*
6. *Uterus non agit sola contractione.*
7. *Dolor in abdomine pressu exoriens non semper inflammationem indicat.*